Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



22

sapientia. Dixi sapiens efficiar: & ipsa longius recessit a me multo ma
gis quam erat. Et alta profunditas: quis inueniet eam. Circuiui in animo
meo uniuersa: ut scirem & considerarem & quererem sapientiam & rationem:
& ut cognoscerem impietatem stulti & errorem imprudentiam: & inueni amaro
riorem morte mulierem: que laqueus uenatorum est & sagena cor eius: uincula
sunt manus illius. Qui placet deo effugiet eam: qui autem peccator est capietur abilla.
Ecce hoc inueni dixit ecclesiastes unum & alterum: ut inuenirem rationem
quam adhuc querit anima: & non inueni. Virum de mille unum reperi: mu
lierem ex omnibus non inueni. Solummodo hoc inueni quod fecerit deus hominem
rectum & ipse se infinitis miscuerit questionibus. Quis talis sapiens est: &
quis cognouit solutionem uerbi. Sapientia hominis lucet in uultu
eius: & potentissimum faciem illius commutabit. Ego os regis obseruo: & precepta iu
ramenti dei. Ne festines recedere a facie eius neque permaneas in opere malo: quia
omne quod uoluerit faciet. & sermo illius potestate plenus est. nec dicere ei quis
quam potest quare ita facis: Qui custodit preceptum: non experietur quicquam
mali. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus
& opportunitas est & multa hominis affliction: quia ignorat preterita & futura &
uentura nullo scire potest nuntio. Non est in hominis dictione prohibere
spiritum: nec habet potestatem in die mortis. nec sinit quiescere in gruente
bello: neque saluabit impietas impium. Omnia hec considerauit: & dedi cor
meum in cunctis operibus que fiunt sub sole. Interdum dominabitur homo homini:
in malum suum. Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc uiuerent in loco sco
rum: & laudabantur in ciuitate quasi iustorum opum. Sed & hoc uanitas.
Quoniam non profertur cito contra malos sententia: absque ullo timore filii ho
minum perpetrant mala. Etiam peccator ex eo quod centies fecit malum & per
patientiam sustentatur: ego cognoui quod erit bonum timentibus deum qui ue
rentur faciem eius. Non sit bonum impio nec prolongentur dies eius: sed quasi umbra
transeant qui non timent faciem dei. Est & alia uanitas que fit super terram.